



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De pagano, qui apud Achonem dicebat Christianos propter superbiam & gulam, de terra sancta eiectos, cap. 15

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

quòd domus vestra pauper sit: nam corium ibi carum est. De quo verbo valde confusus est Abbas: **APOLLONIVS**: Meritò superbia confunditur.

CAPVT XIV.

CAESARIVS.

ANno præterito, Abbas quidã de ordine nostro, bene notus mihi, cū occurreret Frederico regi Romanorum, qui auunculo suo Philippo successit in Imperio, habens cum illò loqui aliquid, ita cepit equus eius hinnire, lasciuire, & in saltus se dare, vt Regi, in equo satis mansuetò sedenti, nullo nisu posset propinquare. **APOLLONIVS**: Quid putas tantum Principem tunc cogitasse? **CAESARIVS**: puto illū non modicè fuisse scandalizatū, nā simile ei in equo eodē contigit mecum, & ego scandalizatus fui in eo propter equū. Recedens verò à Rege cum multa erubescencia, equo illo effreni vti noluit de cætero. Abbas iste homo erat senex, simplex, satisque humilis ac disciplinatus, licet in hac equitatura minùs fuisset circumspectus. **APOLLONIVS**: Quod iuste in religiosis secularibus displicet; Deo placere non potest. **CAESARIVS**: Verum dicis, quia Deo debemus conscientiam, hominibus famam. Omnibus Christianis dicitur à Christo: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Vt enim taceam de scandalo sæcularium in superbia religiosorum, cū Iudæi & pagani superbiam vel signa superbiæ vident in Christianis, religionem Christianā horrent, & blasphematur nomen Christi per eos. De hoc tibi verba cuiusdam Saraceni referam memoria valde dignissima.

Mat. 11.

CAPVT XV.

FRater Wilhelmus, aliquando camerarius noster, ante conuersionem canonicus fuerat apud Traiectum inferius: hic tempore adolescentiæ suæ signatus cruce, gratia dominici sepulchri transfretauit. Antequam nauis, in qua erat, portum Achonis attigisset, ignem facularum ante ortum auroræ circa ciuitatem in diuersis locis tam ipse quam ceteri viderunt:

*Vita
Christia-
norum
scanda-
lizat in-
fideles.*

derunt: qui cum interrogassent nauas causam ignis, responderunt: Tempus est aestiuum, & ciues propter calorem tentoria sua ob refrigerium circa ciuitatem metati sunt. Hoc ita esse putantes, in portum Achnis deuenerunt, & tunc primùm quia Saraceni obtinissent ciuitatem cognouerunt. Eodem tempore, peccatis nostris exigentibus, data fuerat terra sancta in manus Saladini regis Syriae, regnante Frederico Romanorum Imperatore. Noradinus autem filius Saladini, vir naturaliter pius & beneficus, tunc erat in ciuitate; hic cum nauim Christianorum in portu uidisset, & eum causa aduentus eius, eo quod esset sola, non lateret, misertus Christianorum, quendam nobilem paganum, in lingua Gallica satis expeditum, ad nauem cum galea misit, per quem ne timerent mandauit. Usque ad illam horam fuerant in suspensio positi, ignorantibus utrum essent occidendi vel capiendi. Interim nobilis quidam Christianus de Alemania oriundus, in extremis laborans, omnia sua arma, valde decentia, cum tribus dextrariis per eundem paganum Noradino misit, pro vita fratrum illi supplicans: Ego, inquit, tribus annis uoueram Christo in his armis seruire, sed ut video, non est eius voluntas. Destinati sunt & nuncij Christiani, ex quibus vnus erat frater Wilhelmus, propter scientiam linguæ Gallicæ, qui munera Principi presentarent: Noradinus uero, ut uidit xenia transmissa, cum multa deuotione suscepit, & singula, id est lorica, clypeum, galeam, gladium, nec non & dextrarios desolans, quia per semetipsum visitare uellet infirmum, remandauit. Interim mortuo, & cautè appenso lapide eiectione, ac etiam demerso, alioque milite agrote, etiam aequè nobili viro, in loco infirmitatis eius reposito: Rex manè cum multis diuersi coloris galeis egressus aduenit, nauem intrauit, & de transmissis gratias referens ante infirmum sedit, atque cum medico, quem secum adduxerat, de conualescentia illius disputauit: obtulit & quædam nobilissimi generis poma, quæ creuisse dicebat in orto patris sui apud Damascum, deinde ait infirmo: Propter te omnibus

Christianis benefaciam. A quo cum peterent conductum ad ciuitatem sanctam Ierusalem, quam adhuc tenebant Christiani, respondit: Non esset vobis tutum, neque mihi honestum, si latrunculi, qui modo per omnes vias illius vagantur, vos laederent, & conductum violarent. Egressus vero de nauis, tam aegrotum quam ceteris valedixit, dans eis licentiam repatriandi, contra imperus Saracenorum signo teli regalis illos muniens. Tunc supradictus nobilis paganus, reducens secum in ciuitatem fratrem Wilhelmum, interrogauit eum, dicens: Dic o iuuenis, quomodo seruant Christiani legem Christianam in terra tua? Ille, dicere nolens quod verum fuit, respondit: Satis bene. Ad quod Admiraldus: ego dicam legem Christianorum terrae huius. Pater meus erat vir nobilis & magnus, & misit me ad regem Ierosolymitanorum, vt Gallicum discerem apud illum, ipse vero versa vice misit patri meo suum filium, ad discendum idioma Saracenicum vnde omnis vita Christianorum bene & optime mihi nota est. Non fuit aliquis ciuis adeo diues in Ierosolyma, qui pro pecunia sororem, filiam, vel, quod execrabilius erat, luxuriae peregrinorum uxorem propriam non exponeret, sicque illos mercedibus laborum suorum euacuaret. Ita omnes gulae & carnis illecebris dediti erant, vt nihil omnino a pecoribus differrent. Superbia vero sic in eis regnauit, vt cogitare non sufficerent, quali modo vestimenta sua inciderent, stringerent, atque cultellarent. Idem dico de calceamentis. Et adjecit: Considera vestimenta mea, calciamenta mea, quae sint rotunda, quae ampla, quae simpliciter & humiliter formata. Sicut nobis retulit idem Wilhelmus, manicatae habebat laxas & amplas, sicut monachus: nulla erat in vestibus plicarum multiplicitas, nulla curiositas, licet ipsa vestium materia foret satis pretiosa. Ecce, inquit, ista sunt vitia, propter quae eiecit Deus Christianos superbos & luxuriosos de terra ista: non enim diutius potuit tantas illorum iniquitates sustinere. Putas quia nostris viribus obtinuerimus illam? nequam. Nouissime etiam hoc adjecit: Neminem ex Regibus

gibus vestris timemus, neque ipsum Imperatorem vestrum Fredericum, sed, sicut legimus in libris nostris Christianus Imperator quidam surget Otto nomine, qui terram hanc cum ciuitate Ierusalem cultui Christiano restituet. Nos ista audientes, sperabamus quia propheta illa implenda esset in Ottone Imperatore Saxone, qui ante aliquot annos defunctus est. Eodem tempore Saladinus humanitatē exhibuit Christianis satis magnam. Cū esset exercitus Christianorum, partim ab eius exercitu occisus, partim captus atque dissipatus, reliquias ciuitatū, quæ se vltro redderunt, in ciuitatibus eiusdem esse permisit, sub bona tamen custodia. Diebus aliquot elapsis, cū requisisset a suis, quomodo se haberent Christiani, responderunt illi: Domine non aliter viuunt quam pecora, ludis tantum, gulæ, & illecebris seruietes. Tunc iratus iussit eos de ciuitatibus expelli. APOLLONIUS: Proch, quod abhorret Iudæus, & quod execratur paganus, hoc quasi pro lege habet Christianus. CÆSARIVS: Hæc de tentatione superbiæ sint dicta: nunc ad iram accedamus.

CAPVT XVI.

IRA est irrationabilis perturbatio mentis: Vel, Ira *De Ira*
est, secundum aliam descriptionem, strictus concitati animi furor, vlciscendi libidine feruens. De ira nascuntur rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemia. Ira in corde latet, in verba prorumpit, iniurias exercet. Vnde Salomō in Prouerbis: Vir iracundus prouocat rixas; & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum procliuior. *Prou. 29*
Item Ecclesiasticus: Ira furor, vtraque execrabilia sunt. *Eccli. 27*
Et in epistola sua Iacobus Apostolus: Vbi zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus prauum. *Iacobi 3.*

CAPVT XVII.

DVO serui ex familia nostra verbis inter se contenderunt; ex quibus vnus ira est ira inflammata, vt quasi in furorem versus, alterum, minus tantum.
lia suspicantem, extra monasterium ei occurrens, occidit. Valida erat huius tentatio. Ecce quam modica
M; scin-